

Cum Sacramentum Baptismi sit inalterabile, non satis esset provi-  
sum humanæ fragilitati, sit fiet susceptus, recedente fictio-  
ne, effectum non haberet.

Prob. 2. pars Conclusionis. Nullum Sacramentum est institu-  
tum ad tollenda peccata futura, sed tantum præsentia, & præ-  
terita; sunt enim medicinæ sanativæ præcedentium peccatorum,  
& præservativæ futurorum; ergo. Conf. Peccata post Baptis-  
mum commissa subjiciuntur clavibus, & jurisdictioni Ecclesiæ;  
ergo sunt materia Pœnitentiæ, & non Baptismi.

*Solvuntur objectiones.*

**Obj. 1.** contra 1. partem Concl. Opus mortuum, id est, sine  
charitate factum, non reviviscit; atqui Baptismus fiet  
susceptus est opus mortuum; ergo. R. D. Min. (*Id. ad 1.*) Bap-  
tismus, fiet susceptus, ut est opus hominis, est opus mortuum,  
C. & ex hac parte non reviviscit; ut est opus Dei, est opus mor-  
tuum, N. & ex hac parte reviviscit.

**Obj. 2.** Sacramenta secundum nos causant physicè gratiam;  
atqui Baptismus, dum amovetur fictio, non potest physicè cau-  
sare gratiam, quia tunc non existit; ergo. R. duplicem solutio-  
nem huic argumento nos dedisse Dis. 3. de Sac. in genere  
art. 2. Primam, Baptismus virtute remanere in suo effectu,  
scilicet, characterem. Alteram, sententiam Thomisticam de cau-  
saliitate Sacramentorum esse intelligendam, quando con-  
currunt omnes conditiones requisitæ ad casualitatem physicam,  
quarum prima est realis existentia cause. Vide ibi.

**Obj. 3.** Baptismus non reviviscit, nec operatur, nisi prius  
amovetur fictio; atqui per amotionem fictionis omnia peccata  
tam præcedentia, quam subsequenda tolluntur; ergo nihil res-  
tat tollendum per Baptismus. Prob. Min. Amotio fictionis fit  
per infusionem gratiæ; atqui gratiam nullum compatitur pec-  
catum; ergo. R. D. Maj. Baptismus non producit suum effec-  
tum, nisi prius prioritate naturæ amovatur fictio, C. priori-  
tate temporis, N. Eodem igitur instanti reali, quo tollitur fictio,  
& peccata Baptismus subsequenda per infusionem gratiæ si-  
militer tolluntur, & præcedentia per eandem gratiam, quæ est ab  
utroque Sacramento. Quatenus est a Sacramento Pœnitentiæ,  
concurrunt directè, & per se ad amotionem fictionis, & peccato-  
rum subsequendum, sed indirectè tantum, & tamquam remo-  
vens prohibens ad remissionem peccatorum præcedentium Bap-  
tismus, idèque prius natura in genere cause materialis, &  
dispositivæ: sicque Baptismus, & Pœnitentia simul tempore con-  
currunt ad justificationem hujus peccatoris; Baptismus per se,  
& directè respectu peccatorum præcedentium, Pœnitentia per  
accidens, & indirectè tamquam removens prohibens respectu  
eorundem; sed respectu fictionis, & subsequendum per se, &  
directè, quia hæc sunt ejus materia, non præcedentia.

**Inst.** Peccata Baptismus præcedentia sunt etiam materia  
pœnitentiæ; ergo. Prob. Ant. Sunt peccata hominis subditi Ec-  
clesiæ; ergo & ipsa sunt Ecclesiæ subditi, consequenter ma-  
teria pœnitentiæ. R. N. Ant. Ad prob. N. Conseq. Non enim  
ex eo quod quis per Baptismus fiat subditi Ecclesiæ, sequi-  
tur, quod peccata, quæ prius commisit, subdantur Ecclesiæ,  
ut patet ex 3. probatione Conclusionis, præsertim ex praxi  
Ecclesiæ, quæ illa non agnoscit sui fori, cum illi nullam im-  
ponat satisfactionem. Nec refert, quod peccatum, commissum  
in uno loco, quandoquæ puniatur in altero, cujus jurisdictioni  
reus est subditi; id enim fit, vel ex implicita, seu interpreta-  
tiva voluntate Domini loci, in quo delictum fuit commissum,  
vel ex dispositione Juris humani; similem autem a Deo pro  
Sacramentis institutam dispositionem, vel voluntatem, non ag-  
noscit Ecclesia.

**Obj. 4.** Fictio tollitur per Pœnitentiam, & non per Bap-  
tismus, ut docet D. Th. & patet; quia per se, & directè opponi-  
tur dispositioni, quæ requiritur, ut reviviscat Sacramentum;  
atqui fictio est peccatum concomitans Baptismus; ergo. R.  
D. Min. Fictio voluta, & inchoata est peccatum, concomitans  
Baptismus, C. & hæc remittitur per Baptismus; Fictio con-  
summata, N. Hæc enim est posterior Baptismo; tunc quia non  
intelligitur profectio Sacramenti consummata, nisi supponatur  
Sacramentum: tunc quia consummatur fictio in eo instanti, in  
quo deberet infundi gratia, & impeditur, alioquin Baptismus  
non esset fiet susceptus; eo autem instanti non est amplius  
Baptismus, quia non causat gratiam, nisi quando completus  
& perfectus desinit; desinit autem, ut alia successiva, per  
instans extrinsecum, seu per primum sui non esse, in quo verum  
est dicere: nunc non est, & immediatè ante erat.

**Inst.** Fictio suscipiens Baptismus tenetur confiteri fictionem  
non solum consummatam, sed etiam inchoatam, & currentem  
cum susceptione Baptismi; ergo hæc etiam tollitur per Sacra-  
mentum Pœnitentiæ. Prob. Ant. Tenetur confiteri se suscepisse  
fictio Sacramentum; atqui ille non suscipit fiet Sacramentum,  
cujus fictio posterior est Sacramento suscepto; ergo. R. N. Ant.

Ad Prob. D. Min. Ille non suscipit fiet Sacramentum, cujus  
fictio posterior est Sacramento, si illa fictio posterior non sit  
obex gratiæ Sacramenti, C. seclis, N. In hoc enim situm est  
peccatum fictionis, quod ponat obicem gratiæ conferendæ per  
Sacramentum, alioquin non esset Sacramentum fiet susceptum;  
non autem potest ponere obicem gratiæ, nisi in eo instanti, quo  
Sacramentum illam conferret, si non esset obex; & illud ins-  
tans, ut diximus, est extrinsecum Sacramento.

Subsumes; atqui non potest confiteri fictionem consumma-  
tam, nisi simul confiteatur peccata præcedentia, & concomi-  
tantia; ergo. Prob. Subsumptum. Qui tenetur confiteri pec-  
catum, tenetur & ejus gravitatem aperire; atqui fictio fit gra-  
vior ex peccatis præcedentibus; quo enim plura sunt, & gra-  
viora peccata, cum quibus accedit ad Baptismus, eò major  
est irreverentia Sacramenti, & gravius fictionis peccatum; ergo.  
R. 1. D. Subsumptum: non potest confiteri fictionem con-  
summatam, nisi simul confiteatur peccata præcedentia, ut  
apparet gravitas fictionis præcisè, Transit: ut per Sacra-  
mentalem absolutionem remittantur, N. Non sunt enim ejus  
materia, & sic nihil contra nos. Sed 2. N. Subsumptum. Ad  
Prob. N. Maj. in casu præsentis, in quo concurrunt duo Sacra-  
menta: quia, cum gravitas illa proveniat ex peccatis præce-  
dentibus, quæ non pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ, &  
remittantur simul per Baptismus reviviscentem, non est neces-  
se, quod illa confiteatur; sed sufficit, quod confiteatur sim-  
pliciter fictionem formalem, dicendo se suscepisse Sacramen-  
tum Baptismi in peccato mortali.

**Petes 1.** Quæ dispositio requiritur, ut Sacramentum fiet sus-  
ceptum reviviscat? R. Si fictio fuit tantum negativa, puta, quia  
suscipiens putabat invincibiliter se esse attritum supernaturaliter,  
cum non esset; sufficit, si habeat attritionem supernaturalem,  
quia per illam tollitur fictio, & obex gratiæ. Intellige tamèn,  
modò post Baptismus non peccaverit mortaliter; alioquin dici-  
endum erit de illo, sicut de ficto positivè. Igitur, si fictio fuit  
positiva, puta, si accesserit sine fide, aut cum affectu ad pec-  
catum mort, aut scienter sine attritione sufficienti, requiritur  
contritio perfecta, vel attritio supernaturalis cum Sacramento  
Pœnitentiæ, cum enim iste obex, seu ista fictio sit in se pec-  
catum mortale sacrificii, non potest aliter tolli, quam per per-  
fectam contritionem, vel attritionem cum Sacramento.

**Petes 2.** Utrum Sacramentum reviviscentem conferat gratiam  
secundum mensuram dispositionis, quam habebat subjectum,  
quando recepit fiet Sacramentum, an secundum mensuram  
dispositionis, quam habet, dum tollitur fictio? R. Quosdam  
existimare, quod gratiam conferat primo modo, idèque min-  
imam; putant enim in collatione Baptismi jam applicata esse  
merita Christi ad certum effectum. Ita Joann. a S. Thom. &  
Conink. Alii tamèn communis tenent gratiam conferri secun-  
dum modo; quia actus fictionem tollens, licet non sit dispositio  
ad Baptismus, qui transit, est tamèn dispositio ad ejus effec-  
tum. Et licet, quando suscipitur Baptismus sine fictione, Deus  
acceptet illum secundum dispositionem, quæ tunc habetur; vi-  
detur tamèn, quod, quando conditio subjecti pugnat cum effec-  
tu Baptismi, illum acceptet secundum eam dispositionem, quam  
habet, quando tollit fictionem. Sicque juxta hanc sententiam  
fieri potest, quod majorem gratiam consequatur qui fiet acced-  
dit, quam qui non fiet; non quod illi prosit sua fictio, sed  
major dispositio, quando tollitur fictio.

**Petes 3.** Utrum alia Sacramenta fiet suscepta, recedente  
fictione, etiam reviviscant? R. Inter varias Theologorum opi-  
niones probabilis videri, Sacramenta Confirmationis, & Ordini-  
nis fiet suscepta, recedente fictione, reviviscere: tunc quia  
imprimunt characterem sicut Baptismus, in coque remanent  
virtualiter, ut ablata fictione, suum effectum producant: tunc  
quia, cum ratione characteris indelebilibis sint inalterabilia, qui  
illa fiet suscipere, manerent perpetuò privati illorum effec-  
tu, seu gratiis sacramentalibus, quibus indigent ad eorum mun-  
ia obeunda; unde non esset satis provi sum humanæ fragili-  
tati, si non reviviscerent. Idem plures non improbabiler existi-  
mant de Extrema-Uncione, & Matrimonio: quia Extrema-  
Uncio in eodem morbo iterari non potest, & tamèn ejus  
effectum maximè indiget homo, ut se præparat ad hujus vite  
exitum: Matrimonium verò, quia non potest iterari vivente  
conjugè, & hominem constituit in eo statu, in quo maximè  
indiget gratia hujus Sacramenti.

De Eucharistia negat S. Thom. in 4. d. 4. q. 3. art. 2. in fine:  
tunc quia non imprimi characterem, & potest iterari toties  
quoties: tunc quia aliàs sequeretur, quod, qui toto vite tem-  
pore innumeras communionibus indignus fecisset; fieret in fine  
vite santissimus, si verè pœniteret, quod est absurdum. De  
Pœnitentia videtur affirmare Auctor in 4. d. 17. q. 3. art. 4.  
q. 1. o. At juxta plures ejus Interpretes hanc sententiam tacitè  
saltem retractavit in sua Summa. De quo uberius, dum de  
Sacramento Pœnitentiæ.

DIS-

## DISSERTATIO V.

## DE CIRCUMCISIONE, ET CÆREMONIIS BAPTISMI.

D. Thom. QQ. 70. & 71.

## ARTICULUS I.

## De Circumcisione.

## In quem finem fuerit instituta.

Circumcisionem (*Hic q. 70 art. 1. o.*) fuisse figuram Bap-  
tismi constat: tunc quia, sicut in Baptismo fit professio fi-  
dei, & homo cœtui Fidelium aggregatur, sic in Circumcisione  
fiat professio fidei in Christum venturum, & homo popu-  
lo Dei aggregatur: tunc quia, sicut in Circumcisione abscinde-  
batur pellicula carnis, sic in Baptismo spoliatur vitii, &  
peccatis.

Quantum ad ritum Circumcisionis: (*Id. art. 3. ad 1. & 1. 2.*  
*q. 102. art. 5. ad 1.*) Conventiente fuit instituta in membro ge-  
nerationis. 1. Quia erat signum fidei in Christum ex semine Da-  
vid nasciturum. 2. Quia erat in remedium peccati Orig.  
dicam, quod per actum generationis traditur. 3. Quia ordina-  
batur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipue  
in illo membro viget. 4. Ut sigillarentur sacra Veneris, & Priapi,  
in quibus hæc corporis pars honorabatur. Ritus (*Ibid. art. 2.*)  
cultri lapidei non erat de necessitate Sacramenti; quia in ejus  
institutione nullum instrumentum determinatur. Justinus in  
Dialogo cum Tryphone dicit, primam circumcisionem factam  
fuisse cultello ferreo, & ita etiam a Judæis suo tempore fieri,  
quod & de suo tempore testatur S. Thom.

Leguntur quidem quædam Circumcisiones factæ cultello  
lapideo, ut Circumcisio filii Moysi a Sephora Exodi 4. & se-  
cunda Circumcisio, Josue a Deo mandata Jos. 5. *Fac tibi cul-  
tro lapideo, & circumcide secundò filios Israël.* Sed inde non  
sequitur, quod sic fuerit præceptum in ejus institutione, quan-  
doque semper sic factum fuerit, aut debuisset fieri. Quia imò,  
si consuevisset Judæi circumcidere cultris lapideis, non fuis-  
set necesse præcipere Josue, ut tales adhiberet. Pro illa ergo  
dumtaxat secunda Circumcisione ita præceptum est, idque in  
figuram Christi, qui in Scriptura dicitur *Petra*. Sephora autem  
sic egit propter festinationem, & trepidationem, Deo mortem  
minante Moysi marito suo. Dies octavus (*Ibid. ad 3.*) erat de  
necessitate præcepti. Constat ex ejus institutione. Præveniri non  
poterat ob mortis periculum, quia per eam accelerata fuisset  
mors infantis, & aliundè poterat illi succurri per remedium legi-  
tis nature. Poterat tamèn differri, si immineret periculum mor-  
tis, quam non licebat periclitari accelerare: ex quo patet,  
quod non erat de necessitate Sacramenti.

Suppono, Circumcisionem propter varios fines fuisse in-  
stitutam. 1. Sicut jam dictum est, ut esset figura Baptismi, &  
Circumcisionis spiritualis. 2. Ut esset signum rememorativum  
fidei Abrahæ, & fœderis Dei cum illo, & simul protestatio  
fidei in Christo ex semine Abrahæ nasciturum. 3. Ut per  
illam Populus Dei consignaretur, ejusque cultui deputaretur.  
4. Ut esset signum visibile distinctivum Judæorum a cæteris na-  
tionibus, & quasi frænum eos cohibens a commixtione cum  
illis. Sed questio est, utrum præter istos fines fuerit etiam in-  
stituta in remedium peccati originalis? Negant Bellarm. Vas-  
quez, & Herminier Nat. Alex. Honoratus Tournely, & quidam  
alii: contra quos

Dico. (*Ibid. art. 4. o.*) Circumcisio fuit instituta in remedium  
peccati Orig. Est ita communis, ut Auctor cit. conceptis ter-  
minis dicat: *Ab omnibus committitur ponitur, quod in Circum-  
cisione peccatum Originale remittitur.* Idque probat ex Aug.  
Verùm hanc sententiam non denegat Augustinus Adversarii,  
sed volunt ipsum illius parentem esse, & in hoc a præcedenti-  
bus Patribus recessisse.

Prob. Conclusio 1. Ex Scriptura, Genes. 17. Ubi refertur  
institutio Circumcisionis, sic legitur versu 12. & 14. *Infans  
octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in gene-  
rationibus vestris. Masculus, cujus præputium caro circumcisio  
non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum  
irritum fecit. Sicut ergo ex illo Joann. 3. Nisi quis renatus fue-  
rit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei,*  
colligimus Baptismus esse institutum in remedium peccati Ori-  
ginalis, ita ex illo, *Masculus, &c.* rectè colligitur, Circum-  
cisionem fuisse institutam in remissionem peccati Originalis.  
*Theol. Billuart. Pars Tertia.*

Masculus enim ibi indefinitè ponitur, sicque debet intelligi de  
omnibus etiam infantibus, sicut tò *Nisi quis renatus, &c.*  
Idque indicant verba præcedentia: *Infans octo dierum circum-  
cidetur; & ita expresse habent 70.* Interpretes: *Masculus, cu-  
jus præputium caro circumcisio non fuerit octavo die: ita ut sen-  
sus legis Circumcisionis sit: Quicumque non fuerit circumcisus,  
peribit; quia reus est transgressionis Adæ, & in eo non fuit  
observatum pactum Circumcisionis, institutæ ad illius transgres-  
sionis remissionem.*

Hinc Aug. arguens contra Pelag. libr. 2. de Nupt. & Concu.  
c. 11. dicit: *Sed ipse jam dicat, quare interiret anima ejus de  
genere suo, si circumcisus die non esset octavo. Quid ipse pec-  
casset, quid offendisset Deum, ut de aliena in se negligentia  
tam severa sententia puniretur, si nullum esset Originale pec-  
catum? De circumcidendis enim Deus sic mandavit infantibus,  
Masculus, &c. Ex quo enim instituta est circumcisio in popu-  
lo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad significa-  
tionem purgationis valebat, & parvulis originalisque veteris-  
que peccati, sicut & Baptismus ex illo valere cepit ad innova-  
tionem hominis, ex quo est institutus. L. 7. contra Jul. c. 18.  
Cur ipse Isaac, nisi baptismatis Christi signo circumcisus fue-  
ret, perisset anima ejus de Populo suo. Iterum infra: Quid me-  
ruerat, ut anima ejus de populo suo periret, nisi Circumcisio  
subveniret? Undè Ep. ad Dardanum 57. nunc 187. c. 11. *Cir-  
cumcisio antiquis Sanctis pro Baptismo fuisse creditur.* Et l.  
contra Litt. Petil. c. 72. *Certe antiquus Populus Dei Circum-  
cisionem pro Baptismo habebat.**

Multa reponunt Adversarii, ut auctoritatis Scripturæ, &  
interpretationis Augustini vim elidant. Dicunt 1. Legem hanc  
Circumcisionis, *Masculus, &c.* spectare tantum adultos, & non  
parvulos: tunc quia neque in Hebraico textu, neque in nostra  
Vulgata legitur *octavo die*: tunc quia spectat illos dumtaxat,  
qui pactum Circumcisionis irritum faciunt; quod facere non  
possunt infantes. Sed contra. Quamvis neque in Hebræo, ne-  
que in Vulgata legatur *octavo die*, attamèn, ut dixi, sic debet  
intelligi; tunc ex versu præcedenti; tunc quia *Masculus* indefi-  
nitè ponitur; tunc quia legitur in Versione 70. Interpretum.  
Vera enim est ista Versio, neque quidquam in ea reprehendi  
potest, ut dicit ipse Bellarm. de Verbo Dei libr. 2. c. 6. *Nisi  
vitia, que in eam postea irreperunt negligentia, vel malitia,  
aut etiam ignorantia aliorum; quod dici non potest de præsen-  
ti textu, cum sic uniformiter legatur in omnibus Exemplaribus  
græcis. Quapropter dicendum, illos has particulas apponisse  
ad clariorem intelligentiam textus hebraici, & quia antiqua  
Synagoga sic intelligebat. Ità enim legitur in Polyglotta Ang-  
lis in Pentateuco Samaritano, quem quidam dicunt fuisse  
scriptum tempore Esdræ, alii autè Christum natum. Quantum  
autem ad hæc verba, quia pactum meum irritum fecit, sensus  
est: Quia pactum meum in eo non fuit observatum.*

Dicunt 2. Hæc verba, *delebitur anima illa de populo suo*  
non designare mortem æternam, sed vel mortem temporalem,  
quam minatus est Deus Moysi ob negligentiam circumcidendi  
filium suum, vel exclusionem a cœtu Judæorum, & populo Dei.  
Alterutrum enim importat ista phrasid plurius repetita in Scrip-  
turis, Exod. 12. & 37. Levit. 7. & Num. 19. Sed contra. In  
primis certum est, his verbis non significari morte temporali ple-  
tendum esse eum, qui non fuerit circumcisus; nemo enim un-  
quam ob circumcisionem omissam fuit capite damnatus. Exem-  
plum Moysi non est ad rem; non enim agitur in textu, quem  
versamus, de illo, qui negligit suos circumcidere, sed de illo, qui  
non circumciditur. Aliundè specialiter culpandus erat Moyses,  
negligendo circumcidere suum filium; tunc quia erat constitu-  
tus Princeps Genis; tunc quia proximè dimicaturus contra Ido-  
lolatras patiebatur in filio fomentum, & semen Idololatriæ, sci-  
licet, peccatum originale. Denique factum unius non constituit  
legem generalem, maximè cum constet de usu contrario. Ira-  
que intelligenda est illa phrasid de exclusionem a populo Dei, vel  
per mortem æternam, vel per separationem ab Ecclesia visibili.  
Primum videtur dicendum, quia juxta phrasid hebraicam in  
pluribus locis, Genes. 25. & 49. 1. Mach. 4. & alibi, *appont  
ad populum suum*, significat hereditatem Sanctorum; ergo ista  
contraria, *deleri de populo suo*, significat hujus hereditatis pri-  
vationem. Sed esto intelligatur separatio ab Ecclesia visibili,

Oo

pe

perinde est: quisquis enim ab Ecclesia Sanctorum ejicitur, a Regno caelorum excluditur.

Dicitur 3. Aug. in hanc descendisse sententiam, partim quia legebat cum versione Graeca in textu octavo die; quae tamen verba non leguntur in Hebraeo, nec in Vulgata; partim quia intelligebat pactum de pacto cum Adamo de non comedendo fructu vetito, cum tamen communitè intelligatur, & debeat intelligi juxta textum de pacto circumcissionis cum Abraham; partim quia disputans contra Pelagianos colligebat undequæque argumenta, quibus probaret peccatum originale, quod commodè demonstrabat ex remedio contra ipsum instituto, cujus tamen remedii non meminerunt Patres, ipso Aug. antiquiores. Quapropter, inquit, Honor. Tournely, ab ejus sententia, salva quae ipsi debetur reverentia, recedere nobis fas est. Contra 1. j. m. respondi, independentèr a textu Graeco, id octavo die subintelligi in Hebraeo, & in Vulgata: item veram esse versionem Graecam, neque aliquid Hebraeo, vel Vulgatae contrarium continere, sed utriusque clariore explicatione. Contra 2. utramque intelligentiam adhibuit Aug. libr. 16. de Civit. c. 27. Contra 3. argumenta, quae colligit Aug. contra Pelag. optima sunt, & a sequentibus, ac Theologis probata, nec praecedentibus contraria, ut patebit ex mox dicendis. Unde

Prob. 2. Ex iis, qui Aug. praecesserunt. In Thalmud Tract. Sanhedrim c. 11. juxta interpretationem Josephi de Voisin l. de Lege divina c. 6. legitur: Queritur, quando infans particeps esse possit futuri? Rabbi Machman filius Isaac respondet statim, ac circumciscus est. S. Basilus Hom. 13. comparans circumcissionem Baptismo, dicit: Circumcissionem Judaeus minime differt ob comminationem; quoniam omnis anima, quae die 8. non circumcidetur, & populo suo exterminabitur. At ut circumcissionem non manu factam, quae per Baptismum in dispositione carnis perficitur, differre queris. Ipsum audisti Dominum: Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit. Ibi Basilus circumcissionem circumcissioni, comminationem comminationi comparat. Quod est ergo 8. die non circumcidi, hoc est in Christo non baptizari; & quod est perire de populo, hoc est non intrare in Regnum caelorum. Ita arguebat Aug. libr. 2. contra Jul. c. 6. ex hoc testimonio, quod citaverat sub nomine Chrysostomi. S. Ambros. libr. 2. de Abraham c. 11. dicit: Egregie autem infantia in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet, etiam vernaculos; quia, sicut ab infantia peccatum, ita ab infantia circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutela, quia nullum est culpe vacuum. Nec senex ergo protelytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis aetas peccato obnoxia, & idè omnis aetas Sacramento idonea. Isychius Jerosol. qui floruit circa finem 4. saeculi libr. 3. in Levit. Incircumcisum de populo suo perire ostendit, quia ante circumcissionem abominabilem habet carnes & immundam. Mundatur autem per circumcissionem, quae imaginem gerit resurrectionis mortuorum. Non ergo novam opinionem invenit Aug. sed a Patribus haustam tradidit, & tanquam suo tempore communiter receptam: Certe, inquit libr. 2. contra Litt. Petil. c. 27. Antiquus populus Dei circumcissionem pro Baptismo habere. Et Ep. 57. ad Dardanum nunc 187. c. 11. Circumcisio antiquis Sanctis pro Baptismo fuisse creditur.

Prob. 3. Ex Patribus Aug. posterioribus. S. Prosper l. de Prædicationibus 1. p. c. 14. dicit institutam circumcissionem, ut per integritatem Deus id repararet, quod fuerat vitiatum. S. Greg. libr. 4. Moral. c. 3. Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus Sacrificii, vel pro his, qui ex stirpe Abraham prodierant, mysterium circumcissionis. Referuntur in Jure de consecr. d. 49. Can. 5. S. Bernardus serm. 1. de Coena Dom. Quae est ergo gratia, unde per Baptismum investimur? utique purgatio alicuius. Hujus quidem gratia Sacramentum prius erat circumcisio; ut originalis rubiginem culpe, quae manaverat a Parentibus primis, cultellus eradere. Lege insuper Ep. 77. ad Hugu. & serm. 4. de Circumcissione. Innoc. III. C. Majores Extra de Bapt. libr. 3. tit. 4. Baptisma successit circumcissioni. Sicut sine distinctione qualibet Mosata lex clamabat: anima, ejus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo; & non indistinctè intonat vox Evangelica: nisi quis renatus fuerit, &c. Postea ponit discrimen inter circumcissionem, & Baptismum, quod, etsi originalis culpa remittebatur per circumcissionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad Regnum Calorum, quod usque ad mortem Christi fuit observatum. His jungendi sunt venerab. Beda libr. 1. in Luc. c. 8. Magist. sent. libr. 4. d. 1. Hugo Viet. libr. 1. p. 2. c. 2. S. Thom. hic & alibi. S. Bonav. Alensis, Scotus, Durandus, & alii innumeri. Hos quidem pro majori parte sibi opponit Tournely, sed ad solum Aug. respondet eo modo, quem refutavimus supra; ad alios vero obmutescit.

Prob. 4. rationibus Theologicis. Omni tempore, tam in lege naturæ, quam in lege scripta, fuit pro parvulis remedium contra peccatum orig. institutum in aliquo signo visibili, protes-

tativo fidei in Christum venturum. Ità docet ipse Tournely q. 2. de Sacram. in genere art. 3. Istud autem signum secundum D. Thom. q. 60. art. 5. ad 3. debuit esse magis determinatum post Incarnationem revelatam Abraham, & in lege scripta, quam in lege naturæ, ad expressionem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur; atqui nullum aliud est assignabile quam circumcisio; aut assignent: ergo. Verùm, quod fortè miraberis, hoc ipsum, cogente veritate, agnovit Tournely, non satis sibi constans: laudato enim Art. 3. postquam r. conclusione possuit, & probavit ex Patribus, extitisse pro parvulis in lege naturæ aliquid adversus peccatum orig. remedium, dicit: Atque hoc ipsum legis naturæ contra originalem noxam remedium perseveravit etiam in lege Moysis, ac locum habuit tam in infantibus, qui ante octavam a natiuitate diem circumcidi non poterant, tam in mulieribus, quæ a lege circumcissionis erant immunis: pro illis enim non aliud fuit remedium, quam quod tempore legis naturæ usurpabatur. Hæc verba, ut arbitror, non indigent glossa; aperte enim indicant pro parvulis octo dierum, qui poterant circumcidi, non perseverasse remedium legis naturæ, sed illi subrogatam fuisse Circumcissionem.

Conf. Juxta SS. Patres, & omnes Theologos, annuente Tournely q. cit. art. 3. Circumcisio erat Sacramentum antiquæ Legis; aequi de ratione Sacramenti est, quod sit signum præticum gratiæ, & perfectæ sanctitatis. Hoc quidem negat Theologus Paris. sed nos probavimus de Sacram. in genere Diss. 1. art. 2. ergo. Quomodò verò Circumcisio conferret gratiam, dixi Diss. 3. de Sacram. in genere art. 6. eam scilicet conferre parvulis ex opere operato, non activè, sed passivè; hoc est, Circumcissionem non habere in se vim efficiendi gratiam, sicut habent Sacramenta novæ Legis, sed Deum ad ejus positionem ex fide Mediatoris gratiam conferre. Vide diligentèr loco cit.

Insuper adverte, Circumcissionem posse considerari dupliciter. 1. Nudè, ut erat signum carni impressum, quo Judæi sensibilibus a Gentibus distinguebantur. 2. Ut erat Sacramentum fidei, & regenerationis, seu ut professio fidei in Christum venturum; sic enim Deus illam instituerat, ut quicumque recta intentione illam adhiberet, profiteretur per illam fidem Christi venturi. Primo modo considerata, nihil conferbat ad gratiam, & ad remissionem peccati, quamvis de illa ut tali gloriarentur Judæi, quos idè redarguit Apostolus. Secundo autem modo considerata, conferbat, dixi, passivè, & moraliter, non procedit ratione sui, sed ratione fidei sub hoc signo significatæ, & applicatæ. Ad hæc duo si benè attendaris, facilè solves argumenta, ex Apostolo, & Patribus deproptia.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cum Tournely, Gen. 17. v. 10. & 11. ad hoc unum instituta legitur Circumcisio, ut esset signum fœderis inter Deum, & Abraham, ejusque posteris: Hoc est pactum meum, inquit Deus, quod observabis inter me, & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum: Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos: nihil de remedio peccati: ergo. R. N. Ant. Versu enim 14. legitur lex generalis, quod, qui non Circumcidetur, delebitur de populo Dei. Vide primam probationem. Insuper Deus non init fœdus cum impiis; si ergo circumcisio sit signum fœderis Dei cum posteris Abraham, necesse est, ut hi habeant fidem, gratiam, sanctitatem; illam autem parvuli non habebant in præputio, sicut Abraham adultus habuerat; nascebantur enim filii iræ: ergo illam habebant per circumcissionem, ut erat protestativa fidei, quam habuerat Abraham.

Obj. 2. cum eodem. Apost. Rom. 4. v. 11. dicit, Abraham accepisse signum circumcissionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio; super quem locum Aug. libr. 4. contra Donat. c. 24. docet, circumcissionem fuisse in Abraham signaculum justitiæ præcedentis; in Isaac verò, & iis, qui parvuli circumcidebantur, fuisse signaculum justitiæ sequentis, quando scilicet ad adultam ætatem pervenerint. Insuper multa alia in eandem rem profert Apost. R. equidem Abraham accepisse justitiam fidei in præputio; quia ex fide justificatus erat antequam institueretur circumcisio, ut esset pater omnium credentium, sive circumcisorum, sive incircumcisorum; ad Isaac, & alii posterii Abraham justitiam fidei acceperunt in circumcissione. Cum autem Aug. dicit, in Isaac fuisse signum justitiæ securæ, non intelligit de remissione peccatorum, & justitia habituali, sed de actuali. Sicut enim in Abraham operatio virtutum præcesserat circumcissionem, sic in Isaac, & parvulis circumciscis securata erat, si in dono justitiæ, quod acceperant, perseverarent.

Quantum ad alia, quæ profert Apostolus, iis tantum vult ostendere justitiam non haberi, si per legem, sive per circum-

circumcisionem nudè, & carnaliter consideratam, sed per fidem Christi, cujus circumcisio erat Sacramentum, & professio; sique circumcissionem sine illa fide nihil prodesse ad justitiam, cum illa verò prodesse: sicut, quamvis ibidem dicat Apostolus opera legis sine fide non justificare, id tamen non negat operibus fidei conjunctis: similiter de circumcissione. Item, sicut dicitur nihil valere Baptismum ut est nuda ablutio corporis, multum autem valere Baptismum ut est Sacramentum; ita dicit Apost. circumcissionem carnalem, seu ut est abscissio carnis, nihil valere, licet multum valeat ut est Sacramentum, & professio fidei. Et ità loquebatur Apostolus, ut fidem commendaret, & compesceret superbiam Judæorum, qui propter circumcissionem gloriabantur, & Gentem contempnebant.

Inst. 1. Apost. ibid. c. 3. dicit: Quid ergo amplius Judæo est? aut que utilitas circumcissionis? Multum per omnem mundum... quia credita sunt illis eloquia Dei: ergo ibi sistit privilegium circumcissionis, quod Judæis sint concessæ lex, & prophetiæ; justitia autem habetur ex fide, sive in circumcissione, sive in præputio. R. 1. ut autè, sensum Apostoli esse, legem, & circumcissionem carnalem, prout spectant ad verus testamentum, absque fide Christi, & circumcissione cordis, nihil aliud conferre ad justitiam quam notitiam mandatorum, quæ peccata argunt, non tollunt. 2. Juxta plures per eloquia Dei oracula, & promissa Dei intelligitur, inter quæ reponitur illud, quod per Circumcissionem ex fide deleatur peccatum in homine, ut ipse non deleatur de populo Dei. 3. Juxta Etiam ista responsio Apostoli non spectat secundum membrum suæ interrogationis, hoc scilicet, Aut que utilitas Circumcissionis? Illi enim respondet capite seq. sed primum, hoc scilicet, Quid ergo amplius Judæo est?

Inst. 2. Idem Apost. Galat. 4. dicit In Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium: ergo. R. Apostolus ibi redarguit quosdam, qui volebant Legem tunc adhuc vigere, & necessariam esse ad salutem. Sensus ergo illius est: nunc in Christo, id est, in Religione Christiana, nihil valet ad justitiam consequendam, sive Circumcisio, sive præputium, sive sis circumciscus, sive non; sed fides non otiosa, seu quæ per charitatem operatur.

Obj. 3. cum eodem ex Patribus, Augustino anterioribus. Justinus in Dialogo cum Tryph. Circumcissionem, inquit, in signum, non in justitiam accepit. Irenæus l. contra Hæc. c. 30. Circumcissionem non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eadem dedit Deus. Tertull. l. adversus Judæos c. 2. Si Circumcisio purgat hominem, Deus Adam incircumcisum non faceret: cur ergo non circumcidit, vel postquam deliquit, si purgat Circumcisio? Et c. 3. de Abraham: Acceperat Circumcissionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogativam. Idem Chrysost. hom. 27. in Genes. Ambros. Ep. 72. Greg. Nyss. de Trinit. adv. Judæos, Cypr. l. 1. contra Judæos c. 8. Hieron. in c. 37. Galat. & alii: ergo. R. 1. Laudatos Patres loqui de Circumcissione eo sensu, quo superius dixi locum fuisse Apostolum, seu eo sensu, quo Galat. 4. vocat instituta veteris Legis infirma, & ægna elementa; quatenus scilicet Circumcisio ex se, & nudè considerata ut sigillatæ carnis, a Christo, & ejus fide separata, nihil conferat ad salutem, licet conferat ut est Sacramentum, & professio fidei regenerationisque symbolum: vel quatenus non habet vim causandi activè gratiam, sicut habent Sacramenta novæ Legis, quamvis conferat passivè, hoc est, a Deo conferatur ad ejus positionem ex fide, tanquam ad signum divinæ promissionis. R. 2. Quidquid senserint laudati Patres, magis standum est in hac parte Augustino, & sequentibus Patribus, qui occasione Hæresis Pelagianæ rem ardentius expenderunt, quàm præcedentibus, qui nulla tali præstati questione obiter tenigerunt. Ità ipse Aug. l. de Prædest. c. 14. respondit iis, qui ejus sententiam de Prædestinatione ut novam traducebant.

Obj. 4. cum eodem a ratione. 1. Lex Circumcissionis foeminas non obligabat, nec masculos ante octavam diem; & ex quo sequitur pro ipsis fuisse peccati originalis remedium a Circumcissione distinctum, sique meliorem fuisse foeminarum conditionem, quæ nec octavam diem expectare debebant, nec dolori Circumcissionis subjiciebantur. 2. Judæi per 40. ann. in deserto non fuerunt circumcisi: ergo aliud erat pro peccato orig. remedium. 3. Neque Philo, neque Josephus, neque Rabbinus usquam mentionem faciunt virtutis illius spiritualis, quam nonnulli Doctores Catholicæ Circumcissioni affingunt: ergo. R. ad primum. In his, quæ pendunt ex sola voluntate divina, tota ratio facti est voluntas facientis, (Ibid. art. 2. ad 4.) Congruum tamèn erat, ut pro masculis, & non pro foeminis institueretur Circumcisio. 1. Quia fuit instituta ut signum fidei Abraham, qui credidit se patrem futurum Christi sibi reponissè. 2. Quia peccatum orig. contra quod specialitèr Circumcisio ordinabatur, a patre trahitur, & non a matre; solus enim pater, juxta S. Doctorem, est causa activa generationis, aut saltem juxta alios causa Thes. Biluar. Pars Tertia.

principalis. Nec sequitur idè, meliorem fuisse conditionem foeminarum; quia in proventori ætate subjiciuntur doloribus partus, & variis aliis calamitatibus. Item congruum erat, ut masculus non statim ab ortu circumcideretur, sed expectaretur octavus dies, ne operatio dolorosa in eo statu illi mortem adferret. Ad 2. (Ibid. art. 4. ad 3.) triplex adhiberi solet responsio. Prima, quod ex voluntate Dei, sive expressa, sive interpretativa, fuerit cum Israelitis in deserto dispensatum, ut sine Circumcissione per remedium Legis naturæ possent salvari, eò quod essent in continuo motu, nescientes quando castra movenda essent, aut contra hostes prævidendum. Secunda, quod revera fuerint culpabiles, qui se vel suos circumcidere neglexerunt. Ità Aug. q. 6. super Josue. Tertia est, quod nulli incircumcisi mortui sint in deserto, quia ut dicitur Psalm. 104. Non erat in tribubus eorum infirmus. Sed illi soli videntur mortui in deserto, qui fuerant circumcisi in Ægypto. Secunda solutio magis aridet Estio, & pluribus aliis. Ad 3. Inter probationes protulimus ex Josepho de Voi in testimonium Thalmud: alia plurium Rabbinorum apud eundem leguntur. Sed & argumentum negativum ex silentio Rabbinorum, si ita esset, non prevaleret probationibus nostris.

ARTICULUS II.

De ceremoniis Baptismi.

De ceremoniis Sacramentorum in genere dixi Art. penultimo præcedentis Tractatus; ubique probavi 1. veritas earum utilitates, 2. eas continere mysticam significationem. 3. Ecclesiam habere potestatem eas instituendi. 4. Ministros teneri illas observare. Art. autem ultimo ejusdem Tract. demonstravimus, sacramentalia, qualia sunt ceremoniæ Sacramentorum, non producere effectum spirituales ex opere operato, sed ex opere operantis, & per modum impetrationis. His hic suppositis.

Querimus specialitèr de ceremoniis Baptismi, de quibus jam multa dixi in decursu hujus præsentis Tract. De una, vel triplici immersione, seu effusione disserui Diss. 1. art. 3. §. 2. de ritibus olim observatis in tria immersione ibid. §. 3. Petit. 7. de susceptoribus, seu Patris Diss. 2. art. 2. de loco Baptismi ibid. art. 1. Petit. 4. de tempore Diss. præced. art. 6. post secundam Concl. de ritibus veteris Cathemenatis in Digress. 1. Hist. ad Diss. 3. Hæc omnia require locis cit. cæteras perstringo breviter, quia leguntur in omnibus Ritualibus.

1. Supposita aquæ consecratione, afferuntur, aut adducuntur baptizandi ad fores Ecclesiæ, & ab ejus introitu accedunt, quia non sunt digni, ut domum Dei ingrediantur antequàm diaboli jugum excusserint; & se Christi imperio subjecerint. 2. Baptizando nomen imponitur, ut olim in Circumcissione, ut agnoscat se militæ Christi adscribi. Debet autem esse nomen alicujus Sancti, ut habeat exemplar virtutis quod imitetur; Patronum, & Advocatum, quem colat, & invocet. Præferenda sunt nomina Sanctorum novi testamenti veteribus, non in horum contemptum, sed in execrationem Hæreticorum, qui affectant nomina Sanctorum veteris testamenti; sive quia Sanctos non honorant; sive quia Ecclesiam Romanam veteri Synagoga postponent.

3. Adhibetur exorcismi cum precibus, & tribus insufflationibus, ad expellendum dæmonem ejusque vires frangend. s. ne impediatur Baptismi susceptionem, & ejus effectum. Insufflationibus significatur non solum expulsio dæmonis contempti, sed etiam illapsus Spiritus S. 4. Baptizandus obsignatur signo crucis in plurius corporis partibus, ut crucem non erubescat, & in ea fiduciam ponat; & significetur, omnes sensus aperiri, & reborari, ut Deum excipiat, ejusque præcepta intelligere, & servare valeat. 5. Sal ori apponitur, ut significetur, quod victima Christi non debeat peccatorum veribus putrescere. 6. Nares, & aures saliva linitur sub his verbis: Ephata, quod est adaperire; & statim baptizandus mittitur ad Baptismum, ut, sicut cæcus Evangelicus, oculis luto illitis, Siloè aquis lumen recuperavit, sic intelligamus eam vim esse ablutionis baptismalis, ut mentis ad coelestes veritates percipiendas lumen adferat, ut dicit Catechismus Rom. Juxta Auctorem (Hic q. 75. art. 2. o.) sal in ore, narium, & aurium linitio saliva significat receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures, approbationem, quantum ad nares, & confessionem quantum ad os.

His præactis, desertur, aut deducitur baptizandus ad fontem baptismalem, & 1. Sacerdos tèr ipsum interrogat: Abrenuntias Satanae, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus? cui ille, vel Patrinus ejus nomine respondet ad singulas interrogationes, Abrenuntio. Pollicetur ergo baptizandus se diabolum, & mundum deserere, seque omni tempore utramque tanquam hostem aversaturum. Ad hæc attendant Christiani. 2. Baptizandus (Hic q. 66. art. 10. ad 2.) ungitur oleo sacro, dicto Catech. Biluar. Pars Tertia.

teghumenorum, in pectore, & scapulis quasi athleta; in pectore ad recte credendum, & sancte cogitandum; in scapulis ad Christi jugum fortiter portandum, & bona opera exercenda. 3. Interrogatur a Sacerdote: *Credis in Deum?* cui ille respondet *Credo*, ut fidem suam solemniter profiteatur, juxta illud Christi Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* 4. Petit Sacerdos a baptizando, num baptizari velit; quo annuente, vel ejus nomine Patrino, baptizatur: quia, sicut homo voluntarie serpenti obediendo damnatus est, ita Deus neminem vult suae adscribi militiae nisi volentem, ut divinam Legem sponte servans vitam consequatur aeternam.

Baptismo absoluto, (*Ibid.*) 1. Sacerdos verticem baptizati chrismate inungit, ut intelligat se jam Christo capiti tamquam membrum conjunctum esse, & ea re Christianum a Christo, Christum vero a chrismate appellari. 2. Olim admittetur baptizatus ad osculum pacis in signum unionis, & fraternitatis. (*Ibid.* ad 3.) Item in signum gloriose resurrectionis, & innocentiae acceptae indicetur veste alba, quam deferat usque ad octavam Paschae, & inde dicta est Dominica *in albis* ab albedine vestis, quae hac die deponetur. Item porrigebatur lac, & mel gustandum in signum novae infantiae: uadē in eadem Dominica *in albis*

cantatur in introitu Missae illud ex Epist. S. Petri: *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* 3. Nunc etiam datur baptizato cereus accensus, ut intelligat fidem charitate inflammata, quam in Baptismo accepit, studio bonorum operum esse alendam, & augendam, inquit Catech. Rom.

Has ceremonias pro majori parte carpunt, & damnant Lutherani, & Calvinistae: sed immerito; habent enim, ut dictum est, suas significationes, & effectus, reverentiam conciliant Sacramento, erudiunt imperitos, & mentes ad coelestia erigunt. Insuper sunt antiquissimae. Exorcismorum meminit S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, Tertull. de praescript. c. 41. S. Cypr. Ep. 2. S. Cyrillus Catechesi 1. Ambros. l. 1. de Sacram. cap. 3. Exsufflationum Ambros. l. de iis, qui initiantur c. 1. Aug. l. de peccato orig. c. 40. contra Jul. c. 5. Salis degustandi Origenes homil. 6. super Ezech. Conc. Carthag. 3. Can. 5. Isidorus l. 2. de Offic. c. 20. Aug. l. 1. Conf. c. 11. Linitionis narium, & aurium Ambros. l. 1. de Sacram. c. 7. & de iis, qui initiantur c. 1. & Ordo Rom. Inunctionis olei in pectore, & scapulis, deinde unctionis chrismatis in vertice S. Clemens l. 3. Recognitionum, & Chrysost. hom. 6. in c. 2. Epist. ad Coloss. S. Cyrillus Catechesi 2. S. Ambros. l. 1. de Sacram. cap. 2. & l. 2. cap. 7.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

D. Thom. Quaest. 72.

SUMMA DOCTRINAE CATHOLICAE DE CONFIRMATIONE

EX CONCILIIS, FLORENTINO, ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini (Sub Eugenio IV. anno 1439. Ex S. Thom. opusc. 5.) pro instructione Armenorum.

Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, & balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Ordinarium Ministros est Episcopus. Et, cum ceteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritus S. dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum (Act. 8.) lectio manifestat. Cum autem audissent, inquit, Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem. Qui tum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S. nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate, per Episcopum confecto, hoc admi-

nistrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus S. ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audeat, iter Christi conquiret nomen. Ideoque in fronte, ubi veracundie sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & praecipue crucem ejus, qui Judaeis quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundum Apostolum (1. Cor. 1.) propter quod signo crucis signatur.

Canones Concilii Tridentini (Sess. 7. 3. Martii 1547. sub Paulo III.) de Confirmatione.

I. Si quis dixerit, Confirmationem Baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei rationem coram Ecclesia exponant; anathema sit.

II. Si quis dixerit, injuriosus esse Spiritui S. eos, qui sacro Confirmationis Chrismate virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

III. Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.

DISSERTATIO UNICA.

DE OMNIBUS, QUAE HOC SACRAMENTUM SPECTANT.

ARTICULUS I.

Utrum Confirmatio sit Sacramentum?

Confirmatio, secundum varias rationes considerata, varia nomina sortita est. Ratione materiae dicta est *Manus impositio*, unguenti *mysterium*, Sacramentum *chrismatis*, & *unctionis*, *chrismata salutis*: ratione formae, *signaculum*: ratione effectus, *perfectio*, *consummatio*, Sacramentum *plentitudinis*, communiter *Confirmatio*; quia per illud Sacramentum baptizati confirmantur, & roborantur in fide.

Denique communiter: *Signum sensibile*, quo baptizatus a legitimo Ministro chrismate in fronte ungitur sub praescripta verborum forma. Ad alius, qui abstrahunt a materia, & forma, de quibus est controversia inter Theologos, definitur: *Sacramentum novae Legis*, quo baptizatus confertur gratia firmans, & roborans ad profitendam eandem Christianam. Patebunt istae definitiones ex dicendis.

Novatiani, si Theodoro l. 3. haeret. fab. fides est, negant Confirmationem esse Sacramentum. Alii tamen volunt Novatianos solum neglexisse, at non negasse Confirmationem. Hunc errorem quidam tribuunt Waldensibus, Wicleisistis, & Hos-

Hossicis; at neque id certè liquet. Constat, Lutheranos & Calvinistas hoc Sacramentum rejicere, illudque enormibus blasphemis impetere. In hujus impugnationem tres integros libros composuit Minister Dallæus. Contra quos

Dico. (Hic q. 72. art. 1. o.) Confirmatio est verè & propriè novæ Legis Sacramentum. Est de fide, definita à Concilio Flor. in Decreto unionis, & Trid. sess. 7. Can. 1. de Sacram. in genere; & specialitèr Can. 1. de Confir. his verbis: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam Catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei sui rationem coram Ecclesia exponant; anathema sit.* Item Can. 2. ibid. Hanc definitionem hauserunt sacrae Synodi ex Scriptura, & Traditione. Undè Prob. 1. ex Scriptura, Act. 8. sit legitur: *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod Samaria recepisset verbum Dei (per Philippum Diaconum) miserunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S. Et c. 19. His auditis, baptizati sunt in nomine Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos, & loquebantur linguis, & prophetaut. Ex his sic arguo. Illud est verum & propriè dictum Sacramentum, quod est 1. signum sensibile: 2. collativum gratiae: 3. divinitus institutum: 4. permanentes: & perpetuum; hae enim quatuor constituunt verum Sacramentum, ut patet ex alibi dictis; atqui manus impositio, de qua in Actibus Apostol. est talis: ergo. Prob. Min. 1. Est signum sensibile, ut patet. 2. Est gratiae collativum; constat enim, per Spiritum, ubi agitur de effectibus Sacramentorum, intelligi gratiam sanctificantem. 3. Est divinitus institutum; non enim Apostoli habebant potestatem instituendi signa infallibilitèr gratiae collativa, cum id pertinet ad potestatem excellentiae, quae erat propria Christo. 4. Est permanentes & perpetuum; ut patet ex constanti usu Ecclesiae ab Apostolis usque ad nos: ergo. Huic argumento multa reponunt Haeretici, quae diluam in sol. Obj.*

Prob. 2. Traditione. Sed antè observandum, Dallæum contendere impositionem manuum & unctionem, de quibus fit mentio apud antiquos, esse ceremonias Baptismi ab Ecclesia institutas; ut unctionem baptismalem & confirmatoriam apud veteres unam & eandem esse; hocque effugio arbitratur, solvi argumenta ex Traditione petita contra ipsam; & idèd illud non semel præoccupabimus. Item observandum est, antiquitus Confirmationem & Eucharistiam plerumque confèrri statim post Baptisum. His observatis, traditionem hanc ex quadruplici capite communitèr eruat nostri Theologi, ex summ. Pontific. ex Conciliis, ex Patribus, & ex perpetua Ecclesiae praxi. Itaque

Ex summ. Pontificibus. S. Clemens quartus S. Petri Successor, seu antiquissimus Auctor Const. Apost. l. 3. c. 16. de baptizatis ait: *Et postea Episcopus baptizatos ungit chrismate.* S. Cornelius ann. 255. Epist. ad Fabian. apud Euseb. l. 6. cap. 35. ait de Novato eum, postquam à morbo liberatus fuit, (propter quem in lecto baptizatus fuerat) reliqua non percepisse, quae juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatum fuisse. Hoc autem signaculo minime percepto, quemadmodum Spiritum potuit accipere? Per hoc autem signaculum non potest intelligi ceremonia Baptismi, cum conferret Spiritum S. quod ceremonia ab Ecclesia instituta non competit, & esset à solo Episcopo recipiendum, quod de simplici Baptismi ceremonia dici nequit. Innoc. I. ineunte saec. 5. Ep. ad Decentium, quae extat tom. 1. Conc. Lab. col. 1246, sic loquitur c. 3. *De consignandis verò infantibus, manifestum est non ab alio, quam ab Episcopo, fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hec autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostol. quae asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum S. Nam Presbyteri, seu extra Episcopum, seu praesentè Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen fronte ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum. Refertur c. Presbyteris de cons. d. 4. Palmaris est haec auctoritas contra Dallæum: ex ea enim constat 1. unctionem confirmatoriam, quae fieri debet in fronte & ab Episcopo, esse distinctam ab unctione baptismali, quae fit in vertice & à simplici Sacerdote. 2. impositionem manuum, de qua Act. 8. esse eandem, quae observatur tempore Innocentii. 3. hanc impositionem & unctionem non esse meras ceremonias Ecclesiasticas, cum conferant Spiritum S. quod ceremonia Ecclesiastica non competit.*

S. Leo Ep. 88. ad Germ. & Gall. Episcopos, scripta ann. 445. inter ea, quae prohibentur Chorepiscopis, recenset *chrismata con-*

ficere, & chrismate baptizatorum frontem signare. Et serm. 4. de Nativ. *Permanente stabiles in fide, quam confessi coram multis testibus, & in qua renati per aquam, & Spiritum S. accepistis chrismata salutis, & signaculum vitae aeternae.* In his patet, S. Leonem loqui de chrismatione, non ut de ceremonia baptismali, quae Chorepiscopis non prohibetur, sed de Sacramento distincto à baptismo. S. Greg. Magn. desinente 6. saec. Ep. ad Januar. q. 1. 4. *Presbyteri, inquit, baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.* Ep. 45. libr. 10. mandat Elusino Episcopo, ut officium visitationis impendat, ut ii, qui illis Deo proprio baptizantur, inconsignati non debeant remanere. Et in Sacramentario, in ordine Sabbathi praescribit ritum administrandae Confirmationis, distinguitque ejus unctionem, qua Pontifex tacto pollice in chrismate facit crucem in fronte, ab unctione, quam Presbyter facit in vertice.

Innocent. III. cap. *Cum venisset*, Extra libr. 1. tit. 14. *Per frontis chrismationem*, inquit, manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus S. ad augmentum datur, & roboratur. Undè, cum ceteras unctiones simplex Sacerdos, id est, Presbyter, valeat exhibere, hanc non nisi summus Sacerdos, id est, Episcopus, debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum Vicarii sunt Episcopi, quod per manuum impositionem Spiritum S. dabant, quemadmodum Actuum Apostol. lectio manifestat. Hinc iterum habes non meram ceremoniam Ecclesiasticam, non unctionem indistinctam à baptismali, sed verum Sacramentum à baptismo distinctum gratiae distinctae collativum, scilicet ad robur; à Ministro distincto, scilicet solo Episcopo, confectendum; & idem cum Sacramento, quod frequentabant Apostoli, dum per impositionem manuum conferebant Spiritum S.

Ex Conciliis. Conc. Eliberit. ann. 305. vel juxta alios 317. Can. 28. decernit, ut, qui navigans in necessitate baptizatus fuerit, si superaverit, ad Episcopum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit. Laodiceum ann. 363. Can. 48. *Oportet eos, qui baptizantur, post lavacrum chrismata Ecclesiae accipere, & regni Christi participes fieri.* Perficere autem & participem Regni Christi facere, non pertinet ad ceremoniam Ecclesiasticam. Conc. Hispanense ann. 619. c. 7. enumerans ea, quae non licet simplicibus Presbyteris administrare, dicit: *Non per impositionem manuum fidelibus baptizatis, convertis ex haeresi, Paracletum Spiritum tradere, nec chrismata conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare.* Ubi iterum Sacramentum aliud à Baptismo conferens Spiritum S. ab Episcopo ministrandum. Lege insuper Conc. Araus. ann. 441. Can. 2. Arelit. 3. ann. 445. Cabilon. 2. ann. 813. Paris. 6. ann. 819. De Florent. & Trid. diximus.

Ex patribus. S. Dionysius Apostolis coetaneus de Ecclesiast. Hier. c. 2. *Baptizatum, inquit, in unguento veste alba ad Pontificem ducunt: ille divino ac desiccato unguento virum signat.* Et c. 4. *Quin etiam ei, qui sanctissima divinae regenerationis lavacro initiatus est, consummans illa unctio divini Spiritus illapsum elargitur.* Porro unctio Episcopo reservata, superveniens Baptismo, & elargiens Spiritum S. non est nuda Baptismi ceremonia, sed Sacramentum ab eo distinctum. S. Irenaeus, proximus Apostolis l. 1. adversus haereses c. 18. de Gnosticis, imitantibus ritus Ecclesiae, dicit, baptizatos ab eis inungi *Opobalsamo*. Tertull. qui floruit 2. saec. l. de Bpt. c. 7. sic scribit: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctioe. In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur. Delinè manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum S. En aperte Sacramentum distinctum à Baptismo, & ejus ceremoniis. Sed apertius l. de Resurr. carnis c. 8. ubi dicit: *Caro abluitur, ut animam emaculetur. En Baptismus. Caro ungitur, ut anima consecratur: caro signatur, ut anima muniat: caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.* En Confirmatio cum sua materia adaequata, scilicet, unctioe & manuum impositione. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo sanguinetur.* En Eucharistia.*

S. Cypr. qui Martyr. occubuit ann. 258. Ep. 73. ad Jubat. loquens de impositione manuum, facta à Petro & Joanne super Samaritanos baptizatos à Philippo Diacono, dicit, apud nos idem fieri: *Quod nunc quoque, inquit, apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, ut per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo divinitus consummentur.* Glosa non indiget. Legendus item Ep. 7. ad Januar. Eodem sensu loquitur Firmilianus Ep. ad Cypr. inter Cyprianicas 73. S. Cyrillus Jeros. 4. saec. Catechesi 3. *Et vobis, inquit, postquam ex aquis sacri lavacri ascenderitis, datum est Chrismata, quod gerit imaginem illis, quo unctus est Christus; hoc autem est Spiritus S. vos vero uncti estis unguento, facti participes & consortes Christi.* Plura alia in ista Catechesi, quae tota est de Confirmatione, dicit, &